

dixerat:<sup>35</sup> *Haec ergo omnia aliud habens paucissimas bases: mobilissimum necesse est natum esse atque secantissimum, acutissimum existens prorsus omnium et praeterea levissimum. Neque ullum de gravitate aut superficiebus habet verbum nec aliud quicquam, quo*  
 5 *aut multitudine superficiebus corpora graviora fieri aut corpora superficiebus graviora esse, possit quis vere asserere a Platone fuisse dictum.*

Multo autem minus illud Plato aut in Timaeo aut alibi dixit, quod 2. De elementis capite 2. illi obiecit discipulus:<sup>36</sup> *Dicunt enim*  
 10 *levius et gravius alii quidem, ut in Timaeo reperitur scriptum: gravius quidem id, quod ex pluribus iisdem [342] constitutum, levius vero id, quod ex paucioribus, sicuti plumbum plumbo, id quod plus, gravius, et aes aere. Neque enim haec exempla neque illa verba aut sententia sunt in Timaeo scripta, neque eo loco est ullum de gravitate ver-*  
 15 *bum, nec de levitate plura quam ea, quae adduximus.*

Neque vero scio an maiore audacia Aristoteles haec scripserit, quam patientia Platonis sectatores falsa haec tot ac tanta tule-  
 rint. Nam de sectatoribus Aristotelis nihil mirum est, eos promptissimos fuisse ad haec omnia credenda, quia maior auctoritati  
 20 apud plerosque homines, quam veritati locus est.

Huic cognata obiectio illa est, quam habet 3. Physico capite 5:<sup>37</sup> *Loci vero species, differentia, sursum et deorsum, et ante et retro, et dextrum et sinistrum, et haec non solum ad nos, et positione, sed in ipso toto determinata sunt. Contra Platonem etiamsi suppresso*

<sup>35</sup> ταῦτα οὖν δὴ [δὲ] πάντα, τὸ μὲν ἔχον ὀλιγίστας βάσεις ἐκκινήτοτατον ἀνάγκη πεφυκέναι, τμητικώτατόν τε {καὶ} ὀξύτατον ὄν πάντη πάντων. ἔτι τε [δ'] ἐλαφρότατον. [PLATO, Ti. 56.a.6 – b.1]

<sup>36</sup> λέγουσι γὰρ τὸ κουφότερον καὶ βαρύτερον οἱ μὲν ὥσπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ τυγχάνει γεγραμμένον, βαρύτερον μὲν τὸ ἐκ πλείονων τῶν αὐτῶν συνεστός [corr. ex συνεστῶσι], κουφότερον δὲ τὸ ἐξ ἐλαττόνων, ὥσπερ μολίβδου μόλιβδος ὁ πλείων βαρύτερος καὶ χαλκοῦ χαλκός. [ARIST. Cael. 308b.3 – 8]

<sup>37</sup> τόπου δὲ εἶδη καὶ διαφοραὶ τᾶν [τὸ ἄνω] καὶ κάτω, καὶ ἔμπροσθεν καὶ ὀπίσθεν καὶ δεξιὸν καὶ ἀριστερόν. καὶ ταῦτα οὐ μόνον πρὸς ἡμᾶς καὶ θέσει, ἀλλὰ {καὶ} ἐν αὐτῷ τῷ ὅλῳ διώρισται. [ARIST. Ph. 205b.31 – 34]